

**De plethora et congestionibus sanguinis : dissertatio inauguralis medica ...
/ auctor Franc. Ignatius Girard.**

Contributors

Girard, Franz Ignaz.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Joannis Friderici Starckii, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ez9gprsp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

M. A. 420 DE


PLETHORA
ET
CONGESTIONIBUS SANGUINIS

DISSE
RAT
TIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CONSEQUATUR
DIE XI. AUGUSTI A. MDCCCXIX.
PUBLICÉ DEFENDET

AUCTOR
FRANC. IGNATIUS GIBA
MARTINFELDENSI - EICHSFELDENSI.
H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.



824 А №

АДОПТИЛЧ

тъ

СИВОИА ГЕЗИОНІСІНІСІ

ОГУРІЧАДЫК

АРДАМ САЛАМАДАНЫ

АРАДАРДА МАБІРДАМ ГЕОГЛАДА
СТАПІДА ЕТА ІНДЕСІНІСІНІСІ

АРДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА
СТАПІДА ЕТА ІНДЕСІНІСІНІСІ

АРДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА
СТАПІДА ЕТА ІНДЕСІНІСІНІСІ

АРДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА

АРДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА

АРДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА



АДАМ САЛАМАДАМ ГЕОГЛАДА

V I R O
PERILLUSTRI CELEBERRIMO
EXPERIENTISSIMO
IOANNI BUETTNER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGORUM
CASTRENSIUM REIQUE MEDICAE EXERCITUS REGII
BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, ORDINIS REGII BO-
RUSSICI AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA, CRUCIS
FERREAE IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI
RUTHENICI ST. VLADIMIRI IN CLASSE QUARTA, ST.
ANNAE IN CLASSE SECUNDA, NEC NON ORDINIS REGII
SUECICI WASANI EQUITI.

PATRONO ET FAUTORI SUO
PRAE CETERIS COLENDO

HOCCE QUALE CUNQUE OPUSCULUM

SUMMA

QUA PAR EST REVERENTIA AC DEVOTIONE

D. D. D.

AUCTOR.

Instituti ratio.

Multis quidem humani corporis affectibus faciem physiologia praestantissima medicinae dux et magistra praefert, plurimam autem morbis qui ex humorum vitiis originem capiunt, lucem affert, quorum varias rationes non satis scio, an ex ullo pracepto clarius, quam ex gravissimo illo eluscent: sanitatem in mutua solidarum et fluidarum corporis partium actione, certis quibusdam legibus adstricta, contineri. Inde enim nec in solidis partibus nec in fluidis solis morborum fontes quaerendos esse efficitur, gravesque in errores eos incidisse medicos, qui alterutram professi sint opinionem, facile intelligi potest. Qua de causa mirum sane videtur, quum physiologia iam priscis temporibus superiorem perfectionis ad gradum evecta fuerit, tam vehementes super hac re disputationes summaeque contentionis digladiationes inter artis medicae professores exortas olim fuisse, direm tu profecto facilissimas, si modo praecepti illius rationem habuissent. Ex altera vero parte minime insitias eundum est, clarissimam et ex pathologia

humorali et ex solidari medicinae lucem obortam esse, ea enim est cum omnium artium, tum salutaris artis conditio, ut, quamvis ab una tantum parte diligentius exultae, tamen universae incrementa capiant, eoque magis earum disciplina vigeat, quo acriori cum studio viri docti sententias suas, licet minus ad veritatem accomodatas, sustinere conantur. Ita quoque factum est, ut doctrina de morbis, qui ex sanguinis copia aberrantis vicio originem ducunt, iam antiquitus mirifice exulta, recentiori tempore paene absoluta sit, facileque noxas dijudicare liceat, quas inde humanum corpus recipiat. Quas breviter expositurus, nescio quidem an operae pretium fecero, quum et praestantissimi viri hac in parte elaboraverint, et res fere adeo trita sit et evulgata, ut ne ullus quidem pathologiae generalis scriptor inveniri possit, qui mentionem eius minus iniecerit; veniam tamen a Lectoribus candidis impetraturum me esse confido, si sanguinis copia aberrantis vitiis prius expositis morbos, quibus ansam praebere haec consueverint, deinde enumeravero.

§. I.

Plurimi operam dederunt medici, ut sanguinis in corpore humano contenti copiam ad certum quoddam pondus referrent. Qua in re summa omnino difficultas haeret, nec iuvat, varias singulorum sententias fusius adducere. Tantum adnotasse sufficiat, pro aetate, sexu, temperamentis a-

Hiisque talibus illam magnopere variare, nec uno eodemque in corpore variis rerum sub conditionibus eandem servari. Tantum vero abest, ut sanitati inde detrimentum afferatur, ut variis rerum sub conditionibus variam sanguinis copiam esse ad eam servandam plane oporteat, nec tam exiguis corpus humanum natura viribus instruxit, quin ex facili restitui bona valetudo vel ex majoribus eiusmodi mutationibus possit. Ex his autem luce clarius emicat, difficilem explicatu esse plethorae, de qua iam agendum nobis est, notio nem. Quia in re non dubito Cel. Gaubium ¹⁾ sequi, qui optimam ejus definitionem hisce tradidit: „Plethora, plenitudo, multitudo quae dicitur, boni sanguinis ea abundantia est, quam systema circulationis absque periculo sanitatis ferre nequeat.” Boni igitur et laudabilis sanguinis abundantiam plethoram esse dixit, in quo totius fere definitio nis cardo vertitur, nam sanguinis corrupti et depravati multiudinem plethoram veram et genuinam vix dixeris, quod infra facile patebit. Adicit, periculum inde sanitati imminere, proxime enim plethora a morbo abest, quamvis ipsa morbus vocari non possit. Est certe, ut ita dicam, summus quidam sanitatis gradus, quatenus haec a sanguinis copia et vasorum sanguiferorum actuositate dependet. Quomodo autem morbi ex ea originem ducere possint, altera huius disputatiunculae

¹⁾ Institution. Pathologiae medicinalis §. 387.

parte illustrabitur. — Ceterum *plethora* vera a priscis pathologiae scriptoribus et *plethora ad mollem* sive *πολυψία* dicitur, quo nomine a ceteris eius generibus distinguatur, nec aptior ulla denominatio excogitari potuit, tanta enim est sanguinis copia, sive moles, quanta a vasis vix contineri possit, ideoque molestiam corpori afferat, morbo, uti commemoravimus, proximam. Maxime in eam prona corpora robustiora sunt, maxime, si inter securitatem et inertiam victu aluntur lautiori, unde fit, ut viscera bene valentia plus sanguinis parent, quam ad nutritionem et excretiones necessarias impenditur. Ad hoc aliae quaedam causae accedere solent, quas, quum minus ad propositum nostrum pertineant, praetermittendas esse iudico.

§. 2.

Alterum *plethorae* genus *ad spatum* dicitur quod ad solidarum partium affectus aptius, uti videtur, referri potest. Neque enim sanguinis copia aucta est, nec ille turgescit aliquo modo, sed vasa tantum constricta atque in angustius contracta minorem sanguini parmananti capacitatem offerunt, quin etiam observare licet, sanguinis copiam aliqualiter imminutam, tantam vero vasorum constrictionem esse, ut spatum illi multo minus relinquatur, quam sanitatis leges ferunt. Inde vero fit, ut eandem vel iusta vel imminuta sanguinis copia cum vasis tum ceteris corporis

partibus molestiam exhibeat, quam moles huius aucta, quod modo indicavimus et infra clarius elucescat, creare consuevit. Plethoram ad spatium et *respectivam* vocare pathologiae auctores solent, quippe cuius a firmis partibns origo repetenda est. Maxime obnoxia huic plethorae corpora cum fibra adstrita sunt, quare senibus ea fere familiaris est, quorum corpora naturaliter rigescunt, et exarescunt, itemque hominibus temperamenti sicci **cholerici**, qui assidue et laboriose exercentur et inediam frequentius ferunt; nec inopportunum videtur, protinus hoc loco adnotasse, similem istiusmodi plethoram subitam vasorum constrictionem inducere, qualis a vehementibus animi permotionibus, v. c. ira, terrore, rel. frigore, aliisque talibus excitatur, nec minus frigus febrile illam quasi comitem necessariam sibi adsciscere, quippe quo pleraque corporis vasa per spasmus contrahuntur, ideoque sanguinem et tardius in orbem agunt et perinde ipsum ac in plethora vero molestius ferunt.

§. 3.

Tertium genus, a prioribus plane, ut videtur, diversum, *plethora ad volumen* est, quam eis *spuriam* sive *apparentem* nuncupant. In hac et vasa naturaliter se habent, neque sanguinis moles re-apse auteta est, quamvis verae plethorae signa sub oculos observantis medici cadant; vitium tantum in sanguine positum est, aliqua de causa rare-

facto et in majus volumen extnrgescente. Unde fit, ut vasa, consueta vi recistentia expandantur, ideoque corpus vere plethoricum videatur. Eiusmodi autem plethora vix diu persistere potest, quoniam causae, quae sanguinem hoc modo rarefacere solent, plerumque brevi cessant. His adnumerande sunt, quae vel intrinsecus vel extrinsecus corpus nimis excalfaciunt, v. c. cibi potionesque calidae vel spirituosa, venena et medicamenta calida, nimia exercitatio, aër calidus, frictio, vestimenta calida et alia eiusmodi, nec minus calor febrilis sanguinem adeo rarefacere valet, ut et arteriarum pulsus explicentur et reliqua febris symptomata, quae hunc sub censem veniunt, accedant. Nonnulla quoque morborum seminia pro peculiari ipsorum natura sanguinem hoc modo exturgescere cogunt, quae fusius hoc loco adducere nec licet nec libet. Temperamentum autem, quod proclivitatem ad plethoram spuriam affert, sanguineum est, nimirum ad concipiendum calorem præceteris idoneum, plurimumque ad illam inducendam omnis irritabilitas aucta confert.

§. 4.

Haec de vasorum sanguiferorum totius corporis plenitudine valent. Iam de particulari nimia vasorum repletione, quam *congestionem* dicunt, nobis agendum est, ubi protinus adnotare liceat, inaequaliter sanguinis massam per corpus distributam esse, nec magis ab ambitu singularum

partium, quam a natura et muneris, quo funguntur, diversitate dependere, quantam saugninis copiam requirant, ideoque magna in definiendis sanguinis congestionibus accuratione opus esse, ne in errores incidamus. Plus enim sanguinis ad partes corporis molles, quam ad solidiores et duras, plus ad eas fertur, quae gravioribus muneribus funguntur, quam quae succenturiatas veluti actiones subeunt. Nulla igitur aequalis sanguinis distributio cogitari potest, nisi ad naturam functionesque singularum partium relata. Iam quum sanguis nec sua sponte moveatur, nec solo a corde impulsu accipiat, sed intercedente etiam vasorum quadam vi et actuositate feratur, facile intelligi potest, primas sibi partes in excitandis sanguinis congestionibus haec vindicare, ideoque plethorae universalis, quam in sanguinis vel abundantia vel expansione vel nimia cohibitione possumus, rationes vix et ne vix quidem adhiberi ad hanc doctrinam posse. Inde efficitur, haud inscite se habere eorum sententiam, qui vasorum actiones a naturae norma aberrantes in definitiōnem congestionis assumerint, quum contenderent, congestiones nihil aliud esse, quam morbosam vel citra morbum positam vasorum alicuius partis actuositatem, qua sanguinem crebrius attraherent colligerentque, eoque modo huius partis functionem vel mutarent aliqualiter, vel plane turbarent.

§. 9.

Vasorum autem sanguiferorum vis triplici fere modo alienari potest. Modo enim increscit, sic ut simul incitabilitas, simul insitum ipsarum robur augeatur, modo increscente incitabilitate sola robur sive energia diminuitur, modo et incitabilitas et energia deficit. Inde tres congestiōnum differentiae emergunt, quarum primum synochicam sive sthenicam *κατ' ξοχὴν*, alteram, quum sensibilitas magnas sibi partes agat, nervosam sive spasticam (erēthicam nonnullorum) adhibita inter sthenicam et asthenicam distinctione, tertiam torporosam sive asthenicam, typhosam, paralyticam, dicere convenit.

In synochica congestione sanguis ob veram vasorum actuositatem attrahitur, haec itaque et vehementer coadimpt, et citius promovetur, et fortius in extremas arteriolas defertur, quae tandem, si vasorum functiones accuratius aliquanto reputes, solae sanguinis congestionis causam praebent; tanta enim est inter maiorum arteriarum et minimarum functiones disparilis, ut, quum illae exigua tantum vel plane nulla ad promovendum sanguinem vi, quod recentiorum quorundam opera extra omnem dubitationis aleam positum est, instructae, et incitabilitate ad irritamenta premittit respondente fere destitutae sint, hae incitabilitatem prope maximam prae se ferant, cuius effectus post adhibita vel leviora irritamenta facile sub adspectum veniunt. Vegetiori itaque mini-

marum arteriarum vi tanta sanguinis copia collitur, quanta in extremas venas promptius viso transmitti ab iisque pari celeritate promoveri vix possit, scilicet naturali tantum nec ullatenus aucta vi praeditis.

In spastica (sive irritabili) congestione, qua arteriolarum quidem incitabilitatem utplurimum praevalere, ab energia vero magis minusve destitutam esse diximus, illarum actiones omnino celerius procedunt, ideoque et maior sanguinis copia allicitur, cognita illa pathologiae generalis lege, qua omnis irritatio attrahit, haud aequa vehe- menter tamen promovetur, unde facilius etiam, quam in synochica congestione, collectus san- guis in tenerrimo vasculorum utriusque generis reticulo moratur. Quod vero ad subdivisionem illam spasticae congestionis in sthenicam et asthe- nicam pertinet, haec ab energia in extremis arte- riis superstite, vel naturali, vel infra modum na- turalem imminuta desumpta est, quod quidem fu- sius illustrare supervacaneum iudico. — Superest de nominis ratione pauca proferre. Maxime do- lendum est, ne ullam quidem denominationem huius congestio-*n*is naturam et indolem satis et ad vivum exprimere. Nervosam et spasticam diximus, quod nervorum sensibilitas aucta haud infimas in ea generanda partes agit, quod et ex corporum, quae maxime in hoc genus congestiones prona- sunt, et ex stimulorum, qui eas excitare frequen- tissime solent, natura facile intelligi potest. Ne- que negandum videtur, summam huiuscmodi con-

gestionum inconstantiam et symptomatum quan-
dam quasi mutabilitatem nostram opinionem cer-
tissimis argumentis confirmare. Quum vero par-
tes irritabiles, a quibus demum sanguis congeri-
tur, per se incitari quibusdam stimulis, sine ulla
vel certe mediocri nervorum actione, et possint,
et soleant, nomen prolatum haud plane conveni-
re, facile patet, nisi ad partes eorum stare velis,
qui sub spasio inordinatam cuiuscunque partis
actuositatem et quandam quasi agilitatem intelli-
gere non dubitant. — Erethicam recentiores non-
nulli dicunt, qui multos morbos ad synocham,
erethismum, torporem referre solent, quod qui-
dem optimo cum iure fieri, cum ex Reilii tum ex
aliorum permultis observationibus constat. Deni-
que et irritabilis (sc. congestio ex nimia irritabi-
litate) dici potest, ex analogia debilitatis irritabi-
lis, sed mittamus hanc de nominibus controver-
siam, ne gravioribus rebus tempus subduxisse vi-
deamur.

Extremo loco congestio torporosa sive asthe-
nica, sive typhosa, sive paralytica commemoranda
est, cuius nomina, quam indolem prae se ferat,
luculenter indicant. Oritur itaque ex debilitate
sive deficiente vasorum vi, qua fit, ut sanguis
per inertiam motus colligatur stagnetque. Vis
quidem a tergo, qua sanguis propellitur, non ad-
modum quidem laesa est, vel et naturaliter se
habet, in parte vero aliqua vasorum actuositas de-
fetiscit, neque sanguis celeritate iusta promo-
vetur. Unde ductum fortasse pathologorum ve-

rissimum istuc axioma est, quo debilitas attrahit. *Venosa*, quam plerique adducunt auctores, ad hoc genus utique videtur accensenda, quoniam cum imminuto venarum robore est; nolis vero omnem asthenicam congestionem pro venosa habere; modo enim sanguis in arteriis, modo in venis per ineriam colligitur, prout praegressae causae alterutrum vasorum genus debilitaverint, modo in utrisque inque interposito vasorum capillarium reticulo stagnat. In arteriis certe, ut simplici utamur exemplo, sanguis in febre typhosa congeritur, cuiusmodi congestiones, ut satis notum est, facile asthenicas in inflammationes abeunt; contra in venis in morbo haemorrhoidali stagnat, cuiusmodi congestionem plethoram abdominalem dicere solent.

§ 6.

His propositis, quare inter activam et passivam congestionem auctores distinxerint, clarissime elucescit. Qua congestionum divisione uti minus idoneum visum est, quod nec tantam ad discernendas singulas species vim habet, et ipsa a proposita divisione comprehenditur. Activa igitur et nostra synochica, sive sthenica, et spastica, quae cum aucta vasorum energia et actuositate, contra passiva et torporosa nostra, et spasti-ca quae cum imminuta vasorum energia est, vocatur. Qua de causa magis videtur convenire, utramque tria in genera distinguere, quorum

unum tantummodo duas comprehendit species,
quā m̄ duo genera binas in species diducere.

§ 7.

Reliquum est, ut, quae corpora singulis con-
gestionum generibus maxime obnoxia sint, et ip-
sas sanguinis mutationes beviter indicare. In
congestionem igitur synochicam proclives sunt
quicunque robusti et succipleni victu utuntur li-
beraliori laetiorique, nec satis dimoventur, sic
ut abundans sanguis per totum corpus aequa-
biliter ferri possit, unde fieri solet, ut, si qua ve-
hementius irritamenta in singulares partes agant,
ad eas et crebrius et vehementius humores de-
ferantur. Praeterea temperamentum tam sanguini-
num quam cholericum occasionem congestioni-
bus huiuscemodi praebere solet, quamvis illud
propensionem potius ad spasticas congestiones
afferre videatur. Familiarissimae vero certis qui-
busdam aetatibus synochicae congestiones sunt,
quibus haec vel illa corporis pars prae ceteris ex-
colitur, ut in infantibus cerebrum, in pubescenti-
bus partes genitales et pulmones, rel. nec iuvat
hic loci et reliquias bene multas et sani et labo-
rantis corporis conditiones curatius percensere,
quidus sanguis modo ad hanc modo ad illam
partem aucta inibi vasorum actuositate et vigore
aggeritur,

Summa ad irritabiles congestiones propensio
in temperamento sanguineo est, quo tota vaso-
rum

rum compages summopere irritabilis est, nec tantum vigorem p[re]se fert, quantum in robustis et athleticis corporibus observare licet. Iam quum homines sanguinei et sensibiores aliquanto sint, quaecunque in nervos agere incitamenta solent, et huiusmodi congestiones facile provocant, quod in teneris praesertim adolescentulis et mulierculis observatur, quae pudore vel timiditate commotae ex facili erubescunt. Praeter sanguineos vero homines et ii vel maxime his congestionibus laborant, quibus nimia nervorum sensibilitas naturalis est, qua scilicet et maior vasorum irritabilitas provocatur. Quae causae citra debilitatem sunt, ideoque congestiones activas quas dicunt, sive spasticas sthenicas excitare valent. Ad alteram vero spasticae congestionis speciem, quam cum debilitate esse proposui, ii vel maxime proni sunt, qui debilitate ex praegresso morbo laborant, vel natura infirmiores sunt. In his vasorum incitabilitas aucta cum imminuta energia est.

Denique torporosas congestiones omnium facilime nanciscuntur, qui corpora habent phlegmatica, quippe in quibus vasa sanguifera et languide et tarde munere suo funguntur, nec minus idonei ad id genus congestiones videntur, quibus partes quaedam per se infirmiores sunt. Frequentissime autem sanguis per inertiam motus ad eas congeri solet partes, quae multis venis intertextae, nec citationi illius cursu indigent, et causis quibusdam continenter in se agentibus facile in istam quam dixi infirmitatem incidunt, quod cum

maxime de visceribus abdominalibus valet, id quod fugere posse puto neminem.

Aliqua adhuc animadversio in sanguinis indole est, varie variis in congestionibus mutata. In congestionibus igitur synochicis, quas proxime ad inflammationis genuinae naturam accedere constat, sanguis vel naturaliter se habet, ut in hominibus robustis et bene vigentibus consuevit, vel ab inflammatorii sanguinis indole proxime abest, praecipue si irritamenta, quae inflammationem excitare solent, sive diutius sive vehementius in laborantem partem egerint. Tenuis sanguis et dissolutus hisce congestionibus vel maxime alienus est, quae si in corpore, dissoluti sanguinis pleno, factae sunt tamen, nimirum irritacionem quandam vehementiorem continentioremque secutae, nec diu persistunt, vel brevi mutationem subeunt, sic ut in spasticas vel in torporosas facile abeant. Etenim depravatus sanguis vasis fertur parum vigentibus, quod quidem ex mutua fluidorum solidorumque ratione facile intelligitur. Haud insignem ipsi mora in laborante parte mutationem affert, quae scilicet ob magnam vasculorum actuositatem vix diurna esse potest. — In ceteris congestionum generibus perinde sanguis a naturae norma recedit, atque corporis natura ac indoles exigit. In sanguineis itaque corporibus tenuior aliquanto est, sic ut vasa summa cum celeritate permeare possit, rubicundior quoque, quare vasa ad citiores actiones excitare valet. In exhaustis et infirmis corporibus di-

versimode mutatus observatur, prout praegressae causae vel tenuiorem tantum eum reddiderunt, vel et inquinamentis variis vitiarunt. Generatim vero contendere licet, tenuiorem hocce congestio-
nis genus sanguinem requirere. Spissus enim sanguis et in coëundum pronus aegrius per va-
sorum minimorum lumina promovetur. — Deni-
que in congestionibus cum torpore talem sanguis mutationem exhibit, qualem et a diurna in va-
sis mora, et ab imminuta vasorum vi, prorsus recipere debet. Est itaque vel plane venosus, i-
e. principium carbonicum largiori copia admixtum continet, qualis in venarum capacitate deprehen-
ditur, eoque magis id quidem, quo diutius vel in extremis arteriis vel et in venis stagnaverit
vel admixta varia a credine a naturae norma ab-
errat, quin etiam quandam quasi dissolutionem re-
fert.

§. 7.

Expositis plethorae et congestionum variis rationibus ac differentiis, commodum iam videtur, ad alteram huius commentarioli partem transgre-
di, qua illarum ad excitandos morbos vim et ef-
ficaciam breviter percensere liceat, qua in re pro-
positum ordinem servabimus, scilicet ad finem nostrum accommodatissimum.

Primo igitur loco afferenda plethora vera et genuina est, cuius definitionem § 1. explicavi.
Ad quam proprie pertinere egregius ille Hippo-

cratis aphorismus videtur, quo „in exercitantibus boni habitus ad summum progressi periculosi sunt, si in extremo fuerint. Non enim possunt in eodem manere, neque quiescere. Quum vero non quiescant, neque ultra possint in melius proficere, reliquum igitur in deterius.” Hunc Aphorismum ad habitum athleticum spectare, nemo sane est, qui minus intelligat. Quum vero athletici bono et laudabili sanguine abundant, facile adhiberi ad corpora vere plethorica potest. Iam vero, cuiusmodi ille in deterius transitus sit, quaeritur. Summum et totius corporis et singularum partium vigorem proxime in morbos abire, et quidem in morbos cum aucta vi vitali, quos hypersthenicos dicunt, pathologia generalis lucu. lenter edocet. Constat itaque, plethoram, quum vasis sanguiferis vel maxime molestiam afferat, in his facillime morbos esse sthenicos excitaturam, scilicet si vel extrinsecus, vel intrinsecus causae quaedam ad id aptae accesserint, plethoram enim per se proclivitatem ad morbos sive dispositionem afferre, non est quod pluribus commonefaciam. Frequentissime autem arteriarum systematis concitatio, quam plethora exserit, in febrem inflammatoriam abit, cuius causam proximam et excitantes illustrare, ne lectoribus taedium affram, supervacaneum iudico. Febris inflammatoria, quum in toto corpore sit, iis maxime causis provocatur, quae totam corporis compagem prae ceteris extimulare valent. Sin autem in singulares tantum partes causae quaedam egerint, ad

has vehementius sanguis per se abundans aggreditur, ideoque congestiones synochicae quas dicunt oriuntur, in inflammationem maxime proclives, de quarum varia in excitandos morbos efficacia infra agetur, nec sane infitias eundum est, vehementiores quosdam stimulos ipsam protinus inflammationem absque praevia et diuturniori sanguinis congestione excitare posse.

Iam quum vasorum sanguiferorum compages penitus couiuncta cum nervorum systemate sit, gravata illa hoc simul laborare et posse et debeare facile patet, quod cum ex aliis plethoricorum dum sanitas persistit molestiis, tum ex lassitudine et dedolatione, quae facile vel leviorem exercitationem insequitur, tamquam affectorum nervorum symptomate significantissimo facile cognosci potest. Omnes omnino graviores nervorum morbos ex hoc fonte promanare, quos fusius adducere ad rem non pertinet, certissimo ab auctribus testimonio confirmatur. Maxime vero in apoplexiā proclives sunt plethorici, sanguine videlicet et crebrius et vehementius in cerebri vasa irruente, frequentissimeque et paralysis sine apoplexia ex plethora nascitur. Hydropicis quoque morbis plethora ansam haud raro praebet, qui cum frequentius a congestionibus provocentur aptius infra illustrabuntur, ubi de his fusius disputandum est.

Alterum plēthorae genus, quod ad spatiū dici commemoravimus, similes ac vera plēthora morbos excitare valet, quod facile ex sententia

§. 2. proposita intelligere licet, qua eandem vel iusta vel et imminuta sanguinis copia cum vasis tum ceteris corporis partibus molestiam imminuta vasorum capacitatem, quam moles illius aucta, exhibet. Neque enim vasorum parietes liberi a pressione manent, nec minor inde noxa ceteris corporis partibus evenit, quamvis febris mere inflammatoria vix et ne vix quidem inde nasci possit, quod ex corporum, quibus familiare hoc genus plethorae est, natura ac indole facile coniicere licet. Frequentius sanguinis congestionibus occasionem suppeditat, illo nimilum ad infirmas partes, sunt enim singularum corporis partium infirmitates in senibus frequentissimae, crebrius corruente. Qua de causa creberrime inde inflammations nascuntur quarum quidem indoles, quum reliquum corpus fere infirmum sit et senio confectum, facile mutationem subit, maximeque in debilitatem vergere solet. De hydrope ex eiusmodi cougesionibus tantum non semper oriente postea edissertabimus. Apoplexiā autem saepissime plethora ad spatium movet.

Aliter plethora ad volumen sive apprens se habet, qua sanguinem aliqua de causa rarefactum exturgescere diximus. (§. 3.) Talis exturgescentia fere inconstans est, quum a causis excitetur per se parum constantibus, proinde etiamsi vehentes et tumultuarios, quin imo perniciosos effectus exercere, morbos vero persistente vigore eminentiores vix inducere valet. Prae ceteris itaque congestiones alterius generis (§. 5.) hac in pletho-

ra orientur, morbi que inde pendentes, iisque vel inflammatorii, vel nervosi, prout systema sanguiferum vel nervosum magis occupatum a stimulo morboso fuerit. Inflammationes autem inde conflatae vix genuinae esse possunt, deest enim summus ille vasorum vigor, quem inflammationis exquisitae proprium esse, satis omnino constat. Sin inflammatio genuina supervenerit tamen, vasis scilicet vehementius extimulatis ac maiorem ad actuositatem, quamvis vix diu perseveraturam, provocatis, sanguis certe indolem, qualis in exquisitis inflammationibus observatur, haudquam prae se ferre videbitur, maxime si medica menta quaedam sanguinem vel diluentia vel dissolventia in corpus egerint. Nervorum vero et nobiliorum corporis partium varii affectus simili fere ratione a plethora ad volumen atque a ceteris plēthorae generibus generantur, eam vero differentiam necessario prae se ferunt, quam et sanguinis mutata indoles, et corporum natura et causarum excitantium vis afferunt.

De morbis ex plēthora nascentibus hactenus. Singulos exactius percensere, vix idoneum neque ad hunc commentariolum accommodatum visum est. Etenim si hac materiam fusius pertractare, magna exemplorum copia abuti vellemus, facile angustos dissertatiunculae cancellos egredemur, meliusque foret, integrum inde librum componere. — Ex propositis vero, quodnam de plēthora ad vires quorundam antiquioris temporis pathologorum iudicandum sit, clarissime eluet.

Hanc Cl. Gaubius¹⁾ „sanguinis abundantiam, cui ferendae regundaeque vires naturae non sufficerent, hinc onere gravatae opprimerentur,” accommodate definit. Vires autem quum modo maiora onera ferant, modo minoribus succumbant, haud difficile est intellectu, pro earum ratione varjam sanguinis copiam molestiam corporibus afferre, nec minus omnem, cuiuscunque generis, plethoram ad vires i. e. intolerabilem esse posse.

§. 8.

Congestiones eosdem omnino vel certe similimos atque plethorae varia genera effectus exercere valent, scilicet in partibus, quae sanguini irruenti obnoxiae sunt. Omnes vero afferre, eorumque rationes curatius quodammodo percensere, immensi fere laboris esset, quum ne ullus quidem humani corporis internus affectus cogitari possit, qui certis quibusdam rerum sub conditionibus a congestione originem capere nequeat. Qua de causa nonnullis tantum immoremur, ceteros vero peritioribus ad elaborandum relinquamus.

Congestiones igitur synochicae omnium frequentissime inflammations movent, nimirum accedente vel forinsecus vel intrinsecus peculiari quodam stimulo, qui proximam inflammationis causam in extremis arteriarum finibus, tamquam

¹⁾ Institution. Pathologiae medicinalis. §. 591.

peculiari illarum sede, ponere valeat. Sanguinis enim etsi vehementissimam congestionem excitandae inflammationi non sufficere, sed propriam quandam eamque morbosa arteriarum concitationem sive actuositatem accedere debere, neminem sane fugit, rebus pathologicis vel leviter tantum imbutum. Iam quum nobiliorum partium inflammations perpetuam sibi febrem inflammatoriam comitem adsciscant, hanc quoque congestionis sequelam esse patet, ea vero ratione, ut ab inflammatione proxime excitetur, congestiones enim per se febrem movere haudquaquam possunt. Simili modo, si nimis vasorum parietes distenduntur, profluvia sanguinis per διαπήδησιν superveniunt, ¹⁾ qualia plethoricis haud raro levamentum afferre, et morbos inflammatorios ab abundantia sanguinis ortos feliciter dijudicare, notum est. Porro varii nervorum morbi ex congestionibus synochicis originem capere solent, in quibus vel maxime apoplexia eminet, ratione supra proposita.

Frequentissime autem hydropi eiusmodi congestiones ansam praebere solent, morbo recentiorum quorundam opera mirifice illustrato, veteres enim medicos talis hydropis causa, quem sola a debilitate, nec minus ab obstructione repetendum esse, sibi persuaserant, prorsus latuit. Qua de causa egregie promeritus est Cl. Grapengiesserus, qui hydropem huiusmodi a prioribus passim tan-

¹⁾ Gaubius L. c. §. 203. 3.

tummodo commemoratum et fugitivo calamo de-
scriptum novo examiri submisit, eumque plethori-
cum vocavit.¹⁾ Quaeritur iam, qui fieri possit,
ut morbus, quam ab imminuto partium corporis,
praecipue vasorum vigore fieri, satis omnino con-
stat, contrariis causis nascatur. Quod quidem ex
arteriarum secernendi facultate facile ut videtur
intelligi potest, quarum ex parietibus sano in
corpore non modo humores secretorii et excreto-
rii, verum etiam halitus et vapores aquosi, quibus
telae cellulosa cavernulae et vacua partium in-
terstitia repleta sunt, peculiari quadam vi exsu-
dantur. Requiritur ad id modica parietum resis-
tentia aequa ac sanguinis boni et laudabilis ap-
pulsus moderatus. Quodsi alterutrum a naturae
norma recesserit, necessarium est, ut vaporis aquei
secretio exsuperet, isque in humorem condensa-
tus colligatur. Vehementiori enim sanguinis ap-
pulu, arteriarum parietum vis secretoria augetur,
non modo ob tensionem fortiorem, sed sanguini
nem quoque multo incitantiorem, cuius et in
diuturniori mora aliqua auctae istius secretionis
causa quaerenda est. Huiusmodi mora saepe ab
impedimento fieri solet, quod sanguini venoso
ad cor redeunti obstructum, sanguinis circuitum
in affecta parte tardiore reddit. Sic membra
arctius ligata oedematosa evadunt, quod idem in
brachiis observare licet, ubi tumor in axilla ve-
nas comprimit, nec minus tumidum ovarium effi-

¹⁾ Grapengiesser Dissertatio de Hydrope plethorico.
Goettingae 1795.

cit, ut eiusdem lateris coxa cum femore et crure oedema contrahat. Eundem effectum graviditas exserit et hepar obstructum, quod si in maiorem molem increvit, hydropem abdominis ceterarumque inferiorum partium inducit, ideo quod venam cavam inferiorem comprimendo sanguini venoso ad cor redeunti moram facit, quamvis his in exemplis et ad turbatam cohibitamque vasorum resorbentium actionem curiose respiciendum videatur. Moram vero synochicis in congestionibus ipsa sanguinis moles facit, quae, etiamsi vasa maiorem ad actuositatem provocat, perse tamen impedimento est. Quod quidem his in partibus facilis evenire posse, quae, cum naturaliter maiorem sanguinis copiam recipiant, cogestionibus praeceteris patent, quales pulmones sunt et cor, haud difficile est intellectu. Qua de causa factum fortasse est, ut hydropem pectoris plethoricum primum observaverint, eiusque plurima exempla in libris prostent, reliqua autem hydropis genera ex congestione synochica orta vel nunquam vel certe rarissime se observasse medici afferant. Quo certe Sauvagesii observatio pertinet, qui in libro suo, *Nosologia methodica inscripto*, Amstelod. 1767. Tom. II. p. 504. 13. haec habet: „Non infreenter occurrit in praxi species ascitis, quae largo potu, sero lactis, sanguinis missione feliciter tollitur, contra vero solitis aliis artibus exacerbatur. Vidimus hydropem curatum viginti venaectionibus, qui ab exhibitis hydragogis et diureticis, cuiusvis generis, magis ac magis intumuerat.”

Cl. Grapengiesserus hydropem plethoricum Stollio dictum ¹⁾, quem alii quidem calidum ²⁾ alii acutum ³⁾ nuncupant, cuius vero nomen servandum existimo, explodenda enim e medicina nomina temere novandi cupiditas est, duas in species diducit, quarum alteram hydropem plethorica cum acutum, alteram chronicum, sive suppressum vocat, quas fusius describere haud plane incongruum videri potest, maxime, quum auctoris ipsius libellus, quem rariorem esse video, paucis certe lectoribus ad manus erit.

Hydrops plethoricus acutus, Grapengiessero auctore, solum corporibus robustis, aetatis florantis et bene pastis proprius est, quod et ceterorum observatorum animadversionibus extra omnem dubitationis aleam ponitur. Frequentissime, quod iam supra notavimus, hydrothorax hanc indolem assumit, aegrotique protinus ab initio spiritum difficulter trahunt, quasi asthmaticorum imaginem referentes, et saepius iam antea morbo quodam pectoris, maxime inflammatione laborarunt. Omnino symptomata impedimenti cuiusdam maioris, quod totos pulmones occupasse videtur, sub aspectum observantis medici veniunt, qui ex ceteris morbi signis, pulmones a congesto sanguine

¹⁾ Stoll, ration. medendi Tom. III. Vienn. 1780 pag. 504.

²⁾ Sauvages L. l. p. 504.

³⁾ Frank, de curandis hominum morbis Epitome. Lib. de Inflammationibus. pag. 10. 20.

urgeri, facile cognoscit. Aegrotus enim dyspnoeam molestissimam, anxietatem, insomnia conquaeritur neque supinus cubare potest, sed summo statim suffocationis metu angitur. Pulsus plenus, durus, fortis, interdum vibrantissimus hanc valetudinis speciem per totum suum decursum comitatur, sin autem prae nimia in pulmonibus tensione vasa relaxata sunt, tunc, quamvis adhuc amplissimus, tardus fieri incipit. Urina parca et lateritia, dolores totius corporis, praecipue ventris et lumborum, oculorum fulgor, facies subtumefacta, appetitus prostratus, tussicula moderata, qua paucum subinde gluten redditur. Saepissime hydrothorax plethoricus cum peripneumonia coniungitur, et ea quidem ratione ut vel alteruter morbus praecedat, alter sequatur, vel uterque simul a causa quadam communi oriatur; quid enim est facilis, quam partem vigentem, sanguineque aggesto turgentem, inflammationem concipere, et quid tandem magis consentaneum inflammationis naturae est, quam extremas arteriolas modo antea proposito serum crebrius secernere. Qua de causa non dubitarunt plerique medicinae practicae auctores, aquei humoris exsudationem ad proprios inflammationis exitus referre.¹⁾ Qua sub complicatione febris inflammatoria necessario accedit. Sanguis hoc in morbo detractus tantum non semper crustam pleuriticam exhibet, omnemque venaesectionem

¹⁾ P. Frank, de curandis hominum morbis Epitome L. I.

cum subito aegrotantis levamine fieri, ex innumeris observatiniobus constat.²⁾ Contra perversa medendi ratio irreparabile damnum affert, maxime methodus excitans, qua omnia symptomata mirifice augentur, aegrique, nisi mox errorem medicus cognoverit, suffocati pereunt, quod ex antiquiorum observationibus videre est. Denique hydropis plethorici acuti decursus brevissimo temporis spatio absolvitur.

Hydrops plethoricus chronicus sive suppressus difficilius aliquanto cognoscitur, symptomata enim eminentiora admodum pauca habet. Oritur fere in hominibus minus robustis, laxioribus, valetudinariis, debilitatis, vitam agentibus sedentariam, nec minus senio confectis, rel. Causae occasionales haud admodum vehementes esse solent, frequentissimeque acutus hydrops plethoricus in hunc chronicum quasi per decidentiam abit. E quibus iam facile cognoscere licet, sanguinis corgestionem hac in specie non nimis vehementem esse, sed lenius tantum vasorum parietes umeri, ut serosum humorem tardius secernant. Inde fit, ut hydrops plethoricus chronicus frequentissime senescentes, circa annum quinquagesimum, vel et serius invadat, prae ceteris vetulas infestet, labore et sollicitudinibus emaciatas et exsiccatas, quibus menstrua sic cessarunt, ut summa quaedam ad congestiones propensio remanserit,

²⁾ Hufeland Journal der pract. Heilkunde. 1819.

quod frequentissime sane observare licet. Otiosi quoque et sedentarii senes, qui victu utuntur lauti or pleniorique facile hunc morbum nanciscuntur, nec minus omnis haemorrhagiae consuetae suppressio, et plethora, quae cum congestionibus sanguinis crebrioribus est, hydropem plethoricum chronicum facile inducit. Quare et reliquorum congestionis generum hic ratio habenda est, quae, quamvis hydropem plethoricum acutum excitare vix possint, ad chronicum tamen videntur accommodatissima. Saepissime aegroti iam per quodam temporis spatium infirma et incommoda valetudine laboraverunt, antequam ipse morbus ingruit. Denique status valetudinarius increscit, ciborum appetentia aboletur et saepe fastidio inexpugnabili omnium ciborum afficiuntur; abdomen gradatim intunescit indurescitque, facies colore cachectico, interdum liveo et lurido suffusa, turgescit. Simul quandam quasi dedolationem corporis et gravitatem sentiunt, quin etiam partes extremae inferiores oedema contrahunt, summamque aegrotantibus respirandi difficultas molestiam exhibet, quae certissimo nobis argumento est, sanguinem maxime ad pulmones et cor deferri, ibique aquei humoris exsudationem praecipue esse expectandam. Urinam reddunt parcam et lateritiam, pulsus parvus est, suppressus, interdum frequens, omninoque tales notas offert, ut facile observantes medicos decipiatur, eosque ad accipiendam debilitatem veram inducat, quam falsam esse, ex propositis iam clare intelligi potest. Accedit mira quaedam viarium corporis imminutio, quae ad ceteras fallacis-

simas notas collata, errorem potius confirmare videtur, quam emendare. Quid multa, morbi symptomata adeo sunt obscura, tantamque medicis imperitis caliginem affundunt, ut mirum videri non debeat, eum a prioribus partim ignorari, partim falsis notis et fallacibus describi. Haud raro indolem eius ex sanguine huc illuc delato, maxime ex oculis in decubitu aegrotantis supino statim valde splendescitibus et erubescitibus tam men luculentius cognoscere licet, dum et alia leviora quaedam symptomata aliquam lucem afferunt. Quo praecipue critica narium haemorrhagia pertinet, quam aegrotantibus vel levamini vel saluti fuisse passim observarunt. Hanc saepe hydropis plethorici acuti symptomata, etiamsi haud admodum vehementia, e vesgio subsecuta sunt, unde morbi natura clarius etiam elucescit.

Haec sunt, quae fugitivo calamo proiicere, excurrente commeatus spatio, potui, manca profecto, et parum idonea, quod nemo me magis sibi persuasum habere potest. Libenter, si spatium habuissem, commentariolum hocce absolutius reddere allaborassem, cuius utraque in parte plura desiderari, neminem latebit, qui scriptiunculam meam integre pertactaverit. Denique nova a vetustis non satis constanter segregavi, quare et veniam ab iis petitam et impletatam esse velim, quibus ista taedium excitaverint, et vos L. C. summopere oro rogoque, velitis vos aequos et indulgentes huius commentarioli iudices praebere.

NARRATIO VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
A D I E C T A.

Ego Franciscus Ignatius Girard Martinfeldae in Eichsfeldia Die XIIIIM Decembris anni MDCCXC parentibus optimis, patre Mich. Girard, matre Maria Anna Kalbhenn natus, ibique ad undecimum aetatis annum a praceptorum dilectissimo L. Gassmann educatus sum. Deinde octo per annos in Gymnasio Heiligenstadii a viris eruditissimis Lingemanno Directore et Marksio, Sachsio, Gesenio, Turino, Mullero, Schneidero et Ludolphio Professoribus litterarum primordiis instructus anno MDCCCIX Universitatem Georgiam Augustam cum testimonio maturitatis adii. Hic per primum semestre paelectionibus de logice Cel. Schulze, de mathesi pura Cel. Thibaut, de historia litteraria universalis Cel. Eichhorn, de ethnographia Cel. Heeren etc. interfui, nec non seminarium frequentai philologicum Cel. Heyne. Quibus peractis studiis disciplinae medicae, chirurgicae et obste-

triciae per triennium me dedi. Propaedeuticis disciplinis, quales sunt: historia medicinae universalis, historia naturalis universa, botanica, physica, chemia universa, anatome, physiologia, pharmacologia rel. ducibus Cel. Blumenbach, Meyer, Schiader, Hempel, Strohmeyer jun. et Kraus operam dedi, nec defui cadaveribus dissecandis ducibus Cel. Hempel et Langenbeck operam et tempus impendere. Medicinam vero practicam universam a beato Richter et Cel. Himly, chirurgiam universalem et specialem a Cel. Langenbeck et artem obstetriciam a Cel. Osiander accepi. Praeterea per annum exercitationum clinicarum in nosocomio medico, chirurgico et obstetricio particeps fui moderantibus Cel. Hymlie, Langenbeck et Osiander. Omnibus his viris celeberrimis humanissimisque maximas gratias habeo et ago.

Iam de summis in medicina et chirurgia honoribus impetrandis cogitabam, quum conscriptione guestphalica coactus medici castrensis suscepi munera, quibus per annum integrum functus sum, examinibus medico chirurgicis coram collegio medico Casselensi superatis. Proelio nunc prope Lipsiam commisso in patriam liberatam redux nosocomio castrensi Muehlhusiae tres per menses praefui. Paulo posta Perill. Goercke, medicorum castrenium summo praefecto, munus, quo hoc usque fungor, mihi datum est medici cohortis, quo munere fungens castria secutus sum in bello contra Francogallos anni MDCCCXV. Examina a legibus praescripta subiturus autumno anni praeteriti

Berolinum me contuli ibique präelectionibus Ill.
Knape de anthropologia forensi, Ill. Link de phar-
macologia nec non exercitationibus clinicis in po-
liclinico regio ducibus Ill. Hufeland, Cel. Osann,
Busse et Bernstein per semestre hibernum interfui.

Iam tentamine et examine rigoroso coram
gratiosa facultate medica examinibusque a legibus
præscriptis rite peractis hanc conscripsi disserta-
tionem, qua rite defensa summos in medicina et
chirurgia honores me consecuturum esse spero.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Methodus antiphlogistica et in morbis asthenicis quibusdam rerum sub conditionibus adhiberi et potest et debet.

II.

Depressio cataractae extractioni in universum praeferenda est.

III.

Diagnosis inter phthisin pituitosam et exculceratam et maximi momenti et difficillima est.

IV.

Contagium gonorrhoeicum a syphilitico non differt.
